ORATIONES DVAE,

SIMVLQVE PASTORALE CARMEN,

Quibus funera trium fratrum Nogarolarum, Comitum Veronenſium deflentur.

AL DVS

VENETIIS, M. D. LXIIII.

1090

VALERIVS PALERMVS
FRANCISCO NOGAROLAE
COM. ET EQV. CLARISSIMO
S. P. D.

HABES *illuſtris Comes, ſerius licet, quã exſpectaras, orationes an[illegible]as, in funere tuorum fratrum habitas: eas quidem ab officioſo, ſed & popularium ſermonum pertimido homine, profectas. nihil eſt, vt vere dicam, quod me nunc ſcribere incipientem terreat magis, quàm rudium ſcriptorum, editio. ſic enim ſoleo de typis cogitare; excudendorum librorum duplicem eſſe rationem, alteram, vt ſcriptorum nomini, alteram, vt legentium commodo conſulatur. quod nec qui eleganter ſcribunt,*

promeritam laudem ſcriptis non editis, adipiſci; nec edita à multis legi poßint, ſi ab vnoquoque ſint exſcribenda. Atque vtra harum vis cauſa, magnam eius artis auctoribus, habendam eſſe gratiam, non inficior. Veruntamen, vtcumque hæ orationes noſtræ accipiantur, nihil priorem ob cauſam, impreſſorum artificibus me debere profiteor; cum non modo nullam ex eorum opera laudem ſperem, uerùm etiam dubitem, ne quam, pium munus, vt potui exſequendo, gratiam collegerim; eandem immaturæ quandam, vel potius indebitæ gloriæ, ſpeciem captando, effundam. Poſterior certè, vt meo, & tuo, & tuorum nomine plurimum illis debeam, fateri me cogit, qui hac vna tam facili ratione, tanto earum exſcribendarum labore caruerim. Cum enim multis affinibus, & propinquis tuis, quibus tu non in hac

vrbe ſolum, ſed per totam ferè Italiam, ac longius etiam, flores, hæ ipſæ orationes negari non poſſent; quomodo eorum ſtudijs, pio quodam deſiderio incenſis, ſatiſfactum eſſet, non video, ſi librariorum tantum calamo vtendum fuiſſet. Ob id igitur vnum, nos de typis, & prælo cogitaſſe, cum ſcire omnes cupio, tum eas tibi propterea dicatas fuiſſe; vel quod tu tantorum virorum, tibiq; chariſsimorum fratrum memoriam, virtutem, mores vnus optime refers; vel quod quorum voluntates ſemper fuerunt coniunctiſsimæ, eorum nomina nullo tempore uidentur diſiungenda. Ad quas etiam; veluti corollarium quoddam, lepidiſsima illa carmina adnectenda duxi, quæ ſunt olim à Petro Danthe Aligero, omni liberali doctrina politiſsimo homine, conſcripta; dum tertij fratris tui Leonardi, acris magniq; animi

mi viri, interitum deploraret, tum vt Petri ipſius nobiliſsimi, & de patria benemeriti ciuis, tibiq́; & affinitate, & amicitia coniunctiſsimi memoriam excitarem: tum vt ſiqua in meis legendis orationibus capta fuerit ſatietas, eorum carminum periucunda lectione, recreetur. Accipe igitur hæc omnia, quæ nunc pro tempore, tibi ſe dant, benigno animo; & lætioris poſthac argumenti ſcripta, ſi quando nos reſpexerit Deus, expectato. Vale. Veronæ non. Maij. M. D. LXIIII.

ORATIO
IN FVNERE LVDOVICI NOGAROLAE COMITIS.
HABITA VERONAE M. D. LIX.

QVAE præcipuæ res à dicendo quemuis deterrere poſſunt, animi perturbatio, & rei tractandæ amplitudo; has mihi hoc tempore Auditores ſpectatiſſimi, non ſolum non obfuiſſe, uerum etiam miro quodam modo affuiſſe intelligo; ſummus ille mæror, ac luctus, iam tum urbem totam peruagatus, cum primum de obitu Ludouici Nogarolæ Comitis rumor inceſſit, cuius animum non perculit? cuius ingenij uires non debilitauit ac fregit? atque adeo fregit, ut ex oculis cuiusq; lachrymas, quàm ex ore uerba, elicere, ſit facilius. Tanti uero nominis faſtigium, quæ poteſt dicendi uis, quæ ſublimitas orationis attingere? Itaque mirum, ac rurſus mirum uideri poſſit, quî ego omniũ infantiſſimus, cum ætatis, tum exercitationis

ſubſidio

ſubſidio deſtitutus, in hoc tam graue, & difficile negotium fuerim prolapſus. at longe diuerſis in me uiribus affectus ipſe uſus eſt. Qui enim alios compreſſit, me unum excitauit: qui alijs timorem, mihi uni audaciam attulit: qui alios conticere, me unum in latos quoſdam, & incompoſitos queſtus erũpere coegit; quippe doloris impatientia uictum. Tanta item hominis dignitas, quæ rerum magnitudine, & copia uidetur poſſe dicentem perturbare, penitusq́ue euertere, eadem mihi ſe ſe æquiorem, ac tractabiliorem præbet; etenim quæ per ſe ſatis loquitur, & ſplendeſcit, parum alieno uel linguæ, uel ſplendoris eget auxilio. Hæc quidem initio, dum caſus acerbitas efferueret, plurimum ualuiſſe non inficior; uerum, cum aliquantulũ me colligerem, & uirium mearum nimiam tenuitatem perpenderem, id omne conſilium amentis potius, quàm officioſi hominis eſſe exiſtimabam; penitusq́ue abſtinere conſtitueram, (niſi me ſubito reuocaſſet magnus honeſtiorum hominum numerus, incredibili ſtudio efflagitantium, ut quod ipſi lachrymis, intimisq́; ſenſibus, clariſſimi uiri funus, ego etiam aliqua oratione proſequerer. Facillimum fuit fluctuantem animum quò euocatus impelli. Acceſſi, & lubens, quo potũi modo, ſum obſecutus;

tus; cur enim tam honeſtis cohortationibus, atque etiam precibus nõ obſequerer, quæ me ad id muneris conducerent, unde ſi non doctrinæ gloriam, at certe humanitatis & propenſæ in omnes bonos, & literatos, uoluntatis opinionem mihi compararem? Fructus præterea uberrimos caperem, uel in percenſendis eius uiri laudibus, qui laudatiſſimæ uitæ ſingulare exemplar eſſe poteſt. Nunquam earum aliquam cogitatione cõplector, quin me ſingulæ admonere uideantur, quam iniuſte turpiterque his nos ipſos carere patiamur: quæ in alijs amanter adeo probamus, atque ſuſpicimus. At, quoniam ijs, qui laudare aliquem inſtituunt, uſitatiſſimum eſt patriæ, generis, educationisque ſummam habere rationem, eo ſane conſilio, quòd quemadmodum ſiquæ ſint generoſæ plantæ, pingui ſolo natæ, & altæ, diligenti etiam cultura adiutæ, non poſſunt non lætiores, & uberiores afferre fructus; ſic & in hominibus, magni arbitrantur intereſſe, ut quis nobili loco, honeſtisque parentibus oriatur: ita enim ortum, honeſte educari, ita educatum ad honeſtiſſimam uitam perduci conſentaneum eſt; uerumtamen quia huiuſcemodi bona, fortuna magis, quàm hominum aliqua induſtria ſibi uendicat, non arbitror mihi in ijs diutius eſſe immorandũ.

Vel ob id præcipue, ne ſi Veronam urbem, quæ mihi cum illo communis patria eſt, laudare uelim, ipſe mihi nimium plaudere uidear, rei potius uoluptate ductus, quàm neceſſitate: cum præterea id mihi, apud uos faciendum ſit, qui hæc omnia, pene innumerabilia, quibus eſt ipſa ciuitas ſpectata, & illuſtris, quibus ipſi inſidetis, unde ſpiritum ducitis, quorum uſu uos Deus Opt. Max. beauit, aperte magis intuemini, aptiusq; percipitis, quàm ut ulla ſit à nobis demonſtratio ſuper addenda. Iã uero familiæ Nogarolæ eximia decora curſum orationis meæ ad ſe trahunt, quem etiam ſi uelim cohibere non ſatis queam; horum quidem ſi quam partem nunc uacat attingere, non modo inde prognatum heroem, uerum etiam parentem patriam ſatis me laudaſſe exiſtimabo. Ita ut non minus ornamenti patriam accipere ab hac familia, quàm familiam ab ipſa patria, quilibet audacter poſſit aſſerere; ex qua una, quod in cunctis aliis admirabile uiſum eſt, partu quodam fœcundiſſimo, ſimul, & ſemper, fortiſſimi duces, facundiſſimi oratores, & quocumque liberalium artium genere florentiſſimi uiri prodiere; quorum ego ſi uel nomina tantum referre cogitem, id mihi ne eueniat, pertimeſco, quod ſtellas enumerare cupienti ſolet. Ille dum oculo-

oculorum acie protenſa, in cælum ſuſpicit, unius aut alterius ſtellæ obſeruatione detentus, alia atque alia fallitur interlabente; adeo ut ab inſtituta numeri norma, imo etiam à ſe ipſo repente cadat. Quid tum ſi res geſtas etiam, ſi adepta inſignia, ſi ornamenta commemorare cupiam? erit hoc mehercule non ſtellas, ſed ſtellarum etiã radios dinumerare uelle. at poſtquam ita prouehor orationis impetu, pluribus quæ de ea dici poſſent diſſimulatis, pluribus leuiter delibatis, pauca quædam tum ex ſermone hominum recenti, tum ex probatiſſimorum annalium uetuſtate deſumpta, quambreuiſſime potero, referre nõ grauabor. Ac primum quidem ſi quis huiuſce nobiliſſimæ familiæ primordium cognoſcere uelit, illam iam octingentos fere annos, ex Herminiaco, loco in Galliarum partibus nobili, originem traxiſſe intelliget, cum primum in Italiam unà cum Carolo, cognomento Magno, Imperatore profecta, ſedes ſuas in agro Veronenſi collocauit: illudq; non incelebre quondam Nogarolarum caſtrum, ad perpetuam futurorum nepotum memoriam, erexit. Quæ res eo poteſt comprobari teſtimonio, quòd in eo ipſo Herminiaci loco, celebre adhuc extat Nogarolum oppidum, ſui ubi principes, eodem & cognomine, ijſdemque inſignibus,

 qui-

quibus hæc ipſa apud nos familia, ſine diſcri mine utuntur. Et,ne modicas tum fuiſſe quis putet,ipſius, uti aduenæ,familiæ uires,præter iã nominati à me caſtri ædificationem,ex hoc etiam admoneri poteſt,quod eodem fere tem pore, cum Galeottus Nogarola Pamphiliam nobili Scacchorum, ac perueteri genere natã uxorem duxiſſet, ſplendidiſſimo apparatu, quantus nunquàm antea uiſus eſt, equeſtres ludos, ad belli ſimulachrum,in noſtro amphi theatro inſtituit; quibus non urbs ſolum interfuit uniuerſa, uerum & finitimarum regionum quãplurimi accurrerũt equites,ducesq;, tum ut præclarum aliquod ſui periculum, in tam illuſtri ſpectaculo facerent, tum ut ſuo conſpectu ipſum ludorum decorarent dominũ.Offert ſe itaque inter huius familiæ heroẽs primarios commemorandum, Iſnardus Nogarola,ſtrenuus miles,& dux militiæ ſummus; qui, ſi propter ætatem minus,at propter pietatem ſaltem, cæteris anteferendus uidetur, cũ pro patriæ ſalute, contra Fridericum Ahenobarbum in prima acie pugnans, in ipſis patriæ, ac ciuium ſuorum oculis,occumbere nõ recuſarit. poſt eum uero Leonardus ille,maximus &Theologus,& Philoſophus,& Protonotariatus dignitate inſignis,proxime ſubſequatur: ſi quidem ea ſunt aƀ eo copioſe & grauiter

ter

ter in philoſophia ſcripta,& peruulgata, ut de eo diutius ſilere,ſine ſummo crimine non poſ ſimus. Cui merito, inclytus eius nepos Hiero nymus Nogarola ſucceſſerit,uir tum humanis ſimus, & in conſuetudine periucundus, tum in omni ſcribendi genere ſumma doctrina præditus: præcipueq́ue in pangendis carminibus, ſingulari quadam facilitate & uenuſta te pollens; unde tanti uiri ingenium admiratus Maximilianus Cæſar, cum eum ſibi à ſecretis comitem aſciuiſſet, magnis ſemper in rebus illius opera & conſilio uti uoluit. Progenuit is non diſpari conditione ſibi alterum Leonardum, uita cuius fato quodam ſingula ri ad principum limina proterenda, imo uero illuſtranda,expoſita,nullis non regibus, nullis non pontificibus, nullis non ſui temporis ducibus ſpectatiſſima fuit.Teſtes ſunt & Maxi milianus & Carolus V.Auguſtiſſimi Cæſares, teſtes Leo X.& Clemens VII.pontifices maxi mi,teſtis Othomanus Turcarum tyrannus potentiſſimus,ſanctiſſimus Venetorum Senatus, Rex Sarmatiæ, Moſcouiæ dux, innumerabilesq́ue alii principes,ad quos ille, ueluti alter Mithridates uariarum peritia linguarum munitus,maxima cum dignitate orator adiit. At uos quis tacitos unquam relinquat Antoni, & Ludouice fratres unanimi, familiæ ueſtræ

ueſtigiis laudabiliter inhærentes? ea certe fui ſtis animi pietate, & probitate inſignes, ut adhuc auribus noſtris perſonet illud celebre ueſtri cognomentum, quo pauperũ parentes olim, uno omnium ore, prædicati eſtis. Verum ego ſi omnium, ita ut cœpi, nomina, & ornamenta perſequi ſtudeam, uereor ne aut multitudine obruar: aut me oratio, aut uox, uel ipſa etiam dies deficiat. Nam antiquiſſimi illi omnium proceres Rhoduſius, Corradus, Bonifacius, Lufredus, ceteriq́ue omnes Nogarolæ non minus literis, quam armis clari, quando pro eorum merito unquam celebrabuntur? nempe, uel totum unus eorum quiſque diem, ſibi ad dicendum poſcat; & mihi multorum dierum ſpatium ſit exoptandum, ut ſexcenta illorũ nomina ex uetuſtatis tenebris poſſim eruere, ſed ut mihi reliqui omnes uetuſtate ipſa occulantur, unius certe Bailardini equitis ſplendor, ueluti quoddam inter minores ſtellas, maioris ſyderis lumen, non latebit. Ille enim ſub Scaligerorum principatu ita & gratia, & opibus ſuorum ciuium cuilibet antecelluit, ut ex agro tum Veronenſi, tum Vicentino, ſupra etiam quinquaginta aureorum millia, reditus illi proueniſſe conſtet, & ſua etiam ſit uirtute promeritus, ut eum Veronæ princeps Canis ille Grandis, ſororis ſuæ

conſti-

conſtituerit maritum, altera iam ſorore, Obizoni Marchioni Eſtenſi, collocata. Hac affinitate Bailardini nomini non medica facta eſt acceſſio; nam mox & Vicentiæ, & Pataui præturam eſt adeptus, plurimisque aliis dignitatibus exornatus, quæ ſummis tantum, & in maximis rebus perſpectis uiris cōcedi ſolent: adeo ut & pecuniam cudendi, propriisque in ſignibus ſignandi facultate non caruerit. Illud inter cetera conſpicuum; cum legatus ad Henricum Imperatorem eſt miſſus, quod munus tanta ille prudentia & dignitate eſt executus, ut & humaniſſime, & honorificentiſſime ab Imperatore exceptus, non prius ab eo diſceſſerit, quam ei uicem ſuam Imperator Bergomi ſuſtinendam tradiderit: Lonatumq; in Brixienſi agro non obſcuri nominis caſtrum, cum uitæ necisque poteſtate donauerit: eundem præterea conſtituerit, ueluti patrem patratum, ad exigendum ab Albuino, & Cane Grandi Scaligeris principibus erga Romanum imperium perpetuæ fidei iuſiurandum. Ex huius fratre ille extitit Dinadanus, Antonii filii ornamento, & quamplurimis fortunæ bonis auctus: ſi quidem Antonius, Ioannis Vicecomitis arma ſecutus, Cremæ, & Comi poſtea præfecturā eſt adeptus: & quod dixi de fortunæ bonis, Dinadanus ipſe totum

Bernardi

Bernardi Beroaldi Vicentini Comitis patrimonium,dotis nomine accepit,unà cum Sclediſ comitatu, qui mox ab Henrico Octauo, iã ducentos annos,præcipuus Nogarolæ familiæ comitatus eſt conſtitutus. Huius Antonii cõmemoratio, mihi de eius etiam auo, eodem nomine Antonio,memoriam ſuggeſſit,ut nullo modo conticere poſſim, quantum per ipſum ad Nogarolam nobilitatem decus acceſſerit. cum enim Thebaldus Scaliger, Veronæ epiſcopatum adeptum ueniſſet, & exarderet inter nobiliores ciuitatis contentio,cui potiſſimum, ex antiqua conſuetudine, noui Epiſcopi deberetur equus;Canis ipſe Grãdis, omnium uiribus adamuſſim perſpectis, equum Antonio Nogarolæ adiudicauit. Quid hoc poteſt illuſtrius eſſe documento?

Dixi de uirorũ laudibus, quæ mihi temporis anguſtia præſcripſit,& maxima uos audiſſe puto:quid ſi adhuc maiora de fœminis,æquo, ut cœpiſtis, animo,audire pergatis? & eò quidem maiora,quò ſexus ille,imbecillior naturæ partus exiſtimatur; quanquam negari non poteſt, quin ea ſemper fuerit ingenij acie præſtantiaq́;,ut in quocunque liberalium artium ſtudio, unaquæque mulier ſit uerſata,in eo facile excelluerit. Idq́; priſcis illis temporibus, & noſtris etiam ita fuiſſe, cum ipſi uidimus, tum

tum ex literarum monumentis accepimus. Illud ego tamen maxime in hac Nogarolarum familia mirari ſoleo, non tot aliam fortaſſe domum, in quauis urbe, præclaros uiros unquam aluiſſe, quot iſtam lectiſſimas fœminas, omni liberali diſciplina inſtructas, edidiſſe cōſtat. Id ego innumeris pene exemplis docere poſſum, ſed ex innumeris par unum, aut alterum malo deligere: uos hinc, quales aliæ eſſe potuerint conijcietis. en longe proſpicienda primum eſt, cultiſſima illa fœmina Antonia, Iufredi magnanimi uiri filia, quæ morum elegantia, pudicitia, & humanioribus literis mirum in modum exornata, dignam ſe præſtitit, ut Saluatico Bonaconſæ, nepoti tunc Mātuæ principis, nuptui traderetur. Succedit fœminarum princeps Noſtra, Noſtra (inquā) nomine, rerum dignitati potius, quàm nominis innixa: hæc ita in literarum ſtudijs profecit, ut, quàm huic præponas aliam, non facile inuenias. Quid uero de te Angela, & uere cœleſtis Angela, dicam? tu nomine, ingenio, ac eruditione non humana inſignis, diuino quodam ſpiritu afflata, donum illud deorum maximum es aſſecuta, ut inter illuſtres poeticæ profeſſores adſcriberēre: qua ope nō res inanes, aut humiles tractare; ſed tua tantum uirtute dignas, (deorum quippe facta)

C diuinis

diuinis carminibus decantare ſtuduiſti. Sed quid ego uetuſtiora conſecter? cum ætate noſtra, una extiterit Iulia Nogarola; iſtius, quem lugemus, comitis, digniſſima amita, in qua omne mulierum Nogarolarum decus eluxit? non ob id tantum, quòd perpetuam uirginitatem inter ueſtales ſit profeſſa, quod fuit Nogarolis mulieribus uſitatiſſimũ; ſed quod Philoſophiæ, & Theologiæ ſtudio delectata, doctiſſimis ſuæ familiæ uiris, ſe ſimillimam reddidit. Ad uos tamen omnis iſta decurrat, & conquieſcat oratio, urbis ò duo lumina noſtræ, imo totius fœminei ſexus, Ginebria & Iſotta, incomparabili [illegible]e, & uirtute ſorores; quarum animi gr[illegible]umis quibuſque ſtudijs ab ineunte ætate imbuti, omnium in ſe ſui temporis oculos, futurorum etiam uolũtates conuertêre. Sed hoc fortaſſe uno, Iſotta germana præſtantior, quod uirginitatem uſque colens, ſe deo optimo dicare, quam humanæ ſocietati, ſatius duxit. priuatis enim ædibus incluſa, omnibus expedita curis, diuino cultui commodius uacare, & omnino philoſophari poterat: ipſa quidem adeo mentis acumine eſt elata; ita ad maiora contendit, ut ad ſummam etiam illam indagationem penetrârit, uter ex primis parẽtibus noſtris Adamo & Eua, grauius in Deum peccârit. Quam

rem

rem dialogo deſcriptam, tanta eſt doctrina complexa, ut nullus præ terea Theologus, ma iore fortaſſe potuerit. vt interim taceam de quamplurimis alijs ſcriptis ab illa tum epiſtolis, tum orationibus; deque illa præſertim, qua PIVM II. Pont. Max. ad bellum contra Turcas, pro religione Chriſtiana ſuſcipiendum, excitauit. Deum immortalem, quo ani morum ſtupore, cum in frequenti Cardinalium conſeſſu recitaretur, excepta eſt? nihil ſimile antea auditum fatebantur omnes. Tales ergo in Nogarolarum familia fœminas claruiſſe uidemus: clariſſimis illis Sappho, Aſpaſiæ, Corneliæ, Hortenſiæ merito comparandas. propterea illuſtriores Italiæ quæque familiæ, Nogarolas mulieres ad exactæ nobili tatis prolem, exoptarunt. ſic paſſim præclariſſimi uiri, magnanimi duces, inuictiſſimi Impe ratores editi ſunt. Quibus non ultima gloria accedis tu illluſtris Hieronyme Martinenghe, cum ſumma omnium admiratione, & præſen tium Nogarolarum uoluptate, qui non modo tuo grauiſſimo aſpectu, ſed fide, uigilantia, uirtuteque fruuntur, quando in tuo militari præſidio, charam eorum patriam, contigit acquieſcere. Plura me iam, quàm promiſeram, de Nogarolarum familia dixiſſe ſentio; ſed iſta uetuſtatis repetitio, mihi neſcio quid ſola

tij, & uobis omnibus in tanto mærore uidetur attuliſſe: quapropter nihil eſt, quod de recentioribus, uel de ijs qui nunc degunt, uerba faciam: ſua cuiuſque ſatis ſpectata eſt gloria: & eorũ, qui hic adſunt, ingenuus pudor, laude potius digna præſtare, quàm aperte, laudari cupit. Referam itaque hæc omnia, quæ ſupra diximus, ad unius Ludouici perſonam, de cuius mihi eſt agendum laudibus; &, quàm ſe ille ſuis maioribus dignum, præſtiterit, quã paucis declarabo. Sed uideo ego, quàm in eius uiri uirtutibus exponendis, non alium me eſſe oportere:, quam Ludouicum ipſum; non aliam mihi aut ingenij, aut eloquentiæ uim deſiderandam, quam quæ in Ludouico maxime uigebat: ut & nouum quoddam laudum genus comperire, & illud ornate dicendo poſſem explicare. ego tamen, ſi parem eius meritis orationem non contexã; operam dabo, ut in eius anteactæ uitæ recordatione, communem dolorem lenire, ſi minus ei ſplendorem addere, uidear. Ille, ut primum ex infantiæ annis exceſſit, iam tum id ſuadente natura, ita inſtituente patre Galeotto, optimo, & honeſtiſſimo uiro, ad eius ſcientiæ ſtudium ſe adiunxit, unde recta uiuendi ratio atque ordo manat: etenim his iactis in homine fundamentis, non niſi ſumma quæ-

que

que deinde ſperanda ſunt. Floruit in primis his artibus, quæ ab humanitate nomen accipiunt; ſed has inter maxime fuit ad Poeticen propenſus, atq; ut nõnulla ab eo relicta carmina teſtãtur, & Latijs, & Ethruſcis muſis fuiſſe chariſſimum conſtat. Grauiorum inde diſciplinarum ſtudio ductus, & idoneus iam ad eas percipiendas, in florentiſſima gymnaſia ſe ſe recepit. Vidit tunc illum, adoleſcentem adhuc, celeberrima illa Patauina Academia; atque ita aſſiduum, & diſcendi cupiditate incẽſum uidit, ut quam in ſpem prius omnes eximiæ uirtutis adduxerat, ibi eam ipſe, non modo non fefellerit, ſed ſuperârit etiam. Exortum eſt eo tempore magnum & periculoſum bellũ, inter Cæſarem, Venetosq́;: quamobrẽ illi in patriã redire neceſſe fuit. Hinc cum primũ licuit, ad optimorum ſtudiorum parentem Bononiam ſe tranſtulit, ubi tale de ſe ſpecimen præbuit, ut omnes de ingenij eius præſtantia, ui, acie, ita conſtituerent; neminem ei anteferri poſſe, paucos admodum conferri. Iam ex primis iſtis, quaſi ueſtigijs, quorſum ille tenderet, non obſcure cognoſcitis. Patauium adoleſcens proficiſcitur: armorum impetu inde pellitur: uix patriam attingit, & Bononiam illico ſe confert. quid hoc eſt? nihil certe aliud, ut ego interpretor, niſi quòd uel

inuitis

inuitis temporibus ipſis, literarum ſtudia ſtatuerat perſequi.itaque nullo incommodo, labore nullo,aut periculo, ab eis unquam di uelli poterat. Poſuit in primis ille multũ operæ in Aſtrologia, & in Geometria, multum etiam in Dialecticis, & in alijs diſciplinis,artibusq́ue reconditis; præcipueq́; plurimum in Philoſophia eſt uerſatus,magiſtro Pomponatio,omnium philoſophorum tunc facile principe,cuius ille fuit ſectator aſſiduus, atque ita charus, & iucundus; ut is tantus uir dilecti diſcipuli, in ſuis ſcriptis honorificam fecerit mentionem. Non longo interuallo, tota iam Italia pacata, rurſus Patauium recurrit,& ſub Simonetto Minorita percelebri Theologo,unaq́ue ſub Ioanne Montiſdocca Iſpalenſi, magni nominis philoſopho, tantum profecit, ut in unaquaque conſummatiorũ uirorum corona, omnes huic uni ſemper ceſſerint, & maximi Philoſophi, ac Theologi nomen, cum ſumma illius dignitate obtulerint.Omni denique liberali diſciplina perpolitus, cum iam ſatis, ſuperq́ue à patria abſuiſſet, amicorum & ciuium uotis ſatisfacere cupiens, qui eius aduentum diu exſpectauerant, ad patrios lares reuertitur. ibi iam totum abdere ſe in ſtudia cogitabat,cum e ueſtigio ab Hercule Gonzaga Cardinale ampliſſimo, Mantuam accerſitus

ſitus eſt, ut illius ſtudiorum ſocius, & adiutor eſſet. Apud hunc ita ſe magnifice geſſit, & animi ſui, tum magnitudinem, tum doctrinã declarauit, ut ex ijs omnibus muneribus, in quibus antiſtes ille eius opera eſt uſus, egregiam ſemper laudem ſit conſecutus. Erat in omnes præcipua quadam humanitate præditus, à nullo honeſti officii genere abhorrens; ſimplex eius animus, quique ſimulandi artem uehementer oderat; nec minus etiam beneficus, & liberalis. ex quo profecto illud audeo dicere, nihil ei defuiſſe, quod ad compa randa hominum ſtudia, ac uoluntates, deſideratur. His ille gradibus ad ſupremam gloriam contendebat; his ornamentis, ſuam dignitatem in dies augeri ſentiebat; his denique uirtutibus, apud quoſcumque uitam degebat, ſumma obſeruantia colebatur. Propterea Guido Vbaldus Vrbini Dux, quicum nobili huic uiro maxima ſemper familiaritas interceſſit, Romam iturus, ut oblatum à Iulio III. Pont. Romani imperij uexillum reciperet, non ignarus, quanto ille ſibi & ornamento, & uſui eſſe poſſet, non antea de profectione cogitauit, quam hunc etiam itineris comitem ſibi adiũxit. Age uero referamus adhuc, quæ in eo fuerit ſermonis ſuauitas, quæ elegantia: unus omnes detinebat: unus omnes, quocunque uel-

let,

let, loquendo deducebat: quod unus opti-
me norat, non noſtra ſolum, ſed Græciæ etiā
monumenta omnia, quodq́ue in rebus agen-
dis admodum uerſatus, nihil nō graue & eru
ditum eloquebatur. Talem ſe prætulit, cū for-
te fortuna Parmæ eſſet (eò tunc etiam conue-
nerat Paulus III. ſummus Pont.) ad quem
cum ab affine ſuo, Cardinale Campeggio iu
niore eſſet intromiſſus, incidiſſetq́ue ſermo
de aſſidua maris reciprocatione, ibi quid ea
de re ſentiret, à Pontifice Max. rogatus, ita o-
mniū philoſophorū ſententias ſuper hac quæ
ſtione pulchre retulit, & facunde, quam pro-
babiliorem, & ueriorem putarat, expoſuit,
ut Pont. eius ſcientiam admiratus, illico excla
mârit: Vere in te nobilitas illa effulget comes,
quæ ſibi omnium uirtutum chorum adiun-
xit. Talem quoque ſe præbuit apud Iulium
III, cum eo præſente, Cardinalibusq́; quam
plurimis, uariis de rebus differens, quantum
ex Ariſtotelis, & Scoti libris hauſiſſet, aliis
omnibus admirantibus, palam fecit. Omnia
ob acre & ſubtile iudicium, quæ in quauis
quæſtione propoſita uerſabantur, caute, argu
teq́ue tractabat, ita ut nullus unquam cele-
bris conuentus ſit factus, in quo, aut de re-
bus Theologicis, aut Philoſophicis, aut aliis
quibusq́ue, accurate & rationibus conqui-
ſitis

ſitis eſſet differendum, cui ſemper ipſe, non adfuerit modo, uerum etiam præfuerit. Quo in genere, unum pro cunctis ualeat Tridentini concilij, ſub Paulo III, celebrati, teſtimonium; ubi ille ſæpiſſime de rebus ad Chriſtianam remp. pertinentibus diſceptare; & orationem etiam, in ipſo ampliſſimorum Cardinalium, Epiſcoporum, & Theologorum conſeſſu habere, eſt auditus. Quanquam quid ego plura eiuſcemodi exempla quæro, cum locupletiſſimos habeat ille ſuæ uirtutis teſtes, qui omnium propemodum manibus tenentur? Etenim quis legens Damaſcenum è græco in latinum ab eo uerſum, non cognoſcit, quo dicendi genere, quali uerborum candore, & delectu niteretur? Quid? libellus, qui de Nili incremento, ſiue Timotheus inſcribitur, non'ne plane oſtendit in quanta ſint uerſati caligine antiqui ſcriptores, qui Nili inundationum cauſas explorarunt? Quantum afferunt utilitatis, ſacræ paginæ ſtudioſis, illæ Apoſtolicæ traditiones uirulenta hæreticorum ora comprimentes? Quale exiſtimatis opus illud, quo multis rationibus comprobat Henrico VIII. Britannorum regi, diuinis legibus cum Catherina uxore, Caroli V. matertera, faciendi diuortij, ius prorſus eſſe ſublatum? Tale profecto, ut ei per literas gratias

eſſe agendas Cæſar putârit, nec non honeſtiſſima munera deberi. Eius quoque opera & ſtudio Platonici Plutarchi Chæronei quæſtiones è Græcia in Latium migrârunt, Iulio poſtea Pont.Max. dicatæ; opus ſane multæ eruditionis, ac Latinis ad hæc uſque tempora penitus ignotum. Themiſtius præterea clariſsimus interpres, in Ariſtotelis libros de anima paraphraſim edidit ab Hermolao Barbaro uiro undecunque erudito, latinitate donatam. Sed tantus ille uir, dormitantibus (ut quandoque euenit) oculis, multis in locis allucinatus eſt. Huius poſtea errores & incuriã comes hic noſter, ita tum expurgauit, tum ſuppleuit, ut ſi ab inferis, uel Ariſtoteles ipſe redeat, fateatur, neminem unquam acutius introſpicere, aut ex ipſius uerbis ueriorem elicere ſenſum, Nogarola ipſo, potuiſſe. Agnoſcamus itaque, & amplexemur tam egregia ſcripta, quæ & nobis, & poſteris omnibus, magno ſolatio futura ſunt. quotieſcunque enim ea legere contigerit, quem ex illius morte nunc dolorem capimus, maximam partem minuemus: poſteri autem ex iiſdem ſcriptis, illius memoriam recolentes, poterunt, fructum tam iucundæ collocutionis, quo caruerunt, repetere. Excudiſſet dubio procul complura alia opera admirabile illud ingenium, ſi diutius in patria

tria commorari licuiſſet; nec multis fuiſſet pe regrinationibus diſtractus. Vnde etiam non eſt mirandum, cur, cum tot de eo ſumma præ dicentur, ſi quidem nihil in uita unquam niſi præclariſſime fecerit, nõ paria tamen ſint ſub ſecuta præmia. Vir enim bonus & ſapiens in recte factorum conſcientia unice acquieſcens præmia, quæ recte factis ipſis debentur, nõ admodum curabat. Quod ſi quis etiam ad præmia reſpicere uelit; quid amplius gloriæ ipſius fructu putandum eſt? quæ exiguum uitæ noſtræ curriculum, in immenſum quoddam æternitatis ſpatium producit. Hac ille igitur una contentus uiuens, ſuſceptos cum uirtute labores mitigabat. Domum reuerſus, tanquam ex tumultuoſo mari in tranquillum portum, non langori ſe dedit, & deſidiæ, ſed otio moderato atque honeſto; in quo, homo ſemper ad agendum aliquid natus, ita acriter in ſtudijs, laborauit, ut dum nunquam illa ſtudendi ſitis expletur, ex nimia ſæpe lucubratione laborârit. Quare, ut honeſtam aliquam intercapedinem ab ijs faceret, quo uegetior eſſet ad eadem reditus, ad regendam rempub. ſtudioſiſſime ſe contulit: ibi tum quàm bonum ſe uirum, & ciuem præſtiterit, quamque ſuam uoluntatem ad cauſam publicam aggregârit, plures ex uobis facile re-

cordari poteſtis. Dicat ipſa ciuitas, & curia, quibus eum honoris gradibus, ob unam ipſius uirtutem, cohoneſtârit: quoties per hanc prouinciam prætereuntes exteros principes, ob eius uariarum linguarum peritiam publico nomine excipere iuſſerit: quoties ad Senatum Venetum maximis de cauſis legârit: quoties ille, incomparabili ſtudio, mandata ſibi commiſſa exequens, patriam uoti compotem fecerit. Audite, qualis fuerit eius poſtrema legatio. Iam diu multumque ciuitas noſtra optauerat, ut ad quas opes comparandas, naturam ſibi ſatis liberalem experta eſt, ad eaſdem etiam ſuſtinendas, & amplificãdas, principe ſuo non minus liberali uteretur. pretioſa illa ſerici copia, quæ noſtro quotannis reficitur Veronenſi agro; ad ſericorum etiam pannorum artem, referenda erat; aditus eſt hac de re ſæpiſſime Senatus Venetus, & aſſiduis ſupplicationibus pertentatus, ſed nimiũ aduerſabatur, uetus quoddam & inuiolabile Senatuſconſultum, quo Tuſcorum dumtaxat collegio textoriam artem Venetijs exercentium, cauebatur. ſummo in diſcrimine Nogarolæ ſubſidium exquiſiuimus: præſto fuit uir bonus, & patriæ amantiſſimus, eaque in Senatu ſecundum præſtantiſſimi collegæ actionem, fortiter, copioſe, diſerteque tractauit,

ſine quibus Senatus ipſe aſſenſurus fuiſſe nunquam uidebatur. Iam uoto potita ciuitas, & pulcherrimam artem feliciter auſpicata, intelligit; &, ut ſpero, in dies apertius intelliget, quantum ipſi arti, quantum Senatui Veneto, quantum denique ciui ſuo Nogarolæ debeat. Ingraueſcente demum ætate, ac corpore factus infirmiore, à ciuitatis cura paulatim ſe ſe abdicare coactus eſt, ſuosque intra parietes uictitare. ibi ætatis iniuriam, & corporis uitia, quibus ſupra modum grauabatur, ſemper, & propria animi ui adiutus, & amicorum multorum affectu leuatus, ſuſtinebat. Nec ſecus erat de eo ſperandum; nam, cum ceteras partes ætatis bene compoſuiſſet, non poterat extremum hunc actum, non laudabiliter, tanquam optimus poeta, perficere. In ſtudiis, quantus tunc quidem fuerit, atteſtentur plurima ab eo imperfecta relicta opera, quibus, ſi uiuere contigiſſet, ſupremam manum addidiſſet: ſed uel pulcherrimus Ocelli Lucani libellus, quem poſtremum latinitate donatum, nobiſcum communicauit. Frequens, ſi unquam antea, tunc erat, amicorum nobilium ad eum concurſatio, tum illum ſalutare, tum etiam admirari, & alloqui exoptantium; quibus ille, ſella in ueſtibulo domus poſita, aſſidens, hilari & be-
nigno

nigno uultu occurrebat, & quaſi alter Leontinus Gorgias, ad omnia de quibus quiſque audire uellet paratus, mira excipiebat ſermonum ſuauitate. Loquebatur inter cetera de animorum immortalitate, atque ea de beata illa uita, quæ optimis quibuſque eſt parata, dicebat, ut nemo eſſet, qui in illam cogitationem & commentationem cum eo non libentiſſime raperetur. Quorum quidem ſermonum, nos ſemper meminiſſe æquum eſt. nos, inquam, qui coram adfuimus, uidimus, & auribus noſtris diuinas illius uoces percepimus; quique maiore adhuc deſiderio acti, illuc ſæpe reuertimur, ubi illum loquentem nonnunquam audiuimus. Valebit quippe iſthæc recordatio plurimum ad ſedandam doloris acerbitatem, atque adeo ut beatam etiam eius mortem, quæ à multis eſt defleta, fateamur. Mihi quidem id accidit, ut dum ea mecum tacitus cogito, non parum me conſoler. quid uero nunc, cum in illorum etiam mentionem inciderimus? equidem ita afficior ipſe interioribus ſenſibus, ut partem, illam, quam conſumere in ueſtrum conſolatione conſtitueram, non magnopere neceſſariam ducam: ne uidear cum eius eloquentia uelle contendere, ut quos ille & totius uitæ exemplo, & facundiſſimo ore, ueluti cygnus inſtan-

inſtante mortis tempore,ad humana quæque ferenda, ſapienter eſt conſolatus, eiſdem ego, qui uel ægre loqui poſſum, quaſi graculus ad muſarum cantus obſtrepens, recinere audeam. Quare ad clauſulam iam, tam longi ſermonis, accedamus. Nimia ille ui morborum ad lectum actus, iacebat ille, innumeris angoribus, & cruciatibus conſumptus; nihil erat in eo, quod non ſenectutis cariem, & morbos ſentiret, nihil quod non doleret: at eo tamen erat animo, iis erat uerbis, & uultu, ut omni dolore, cura, & angore uacuus eſſe uideretur.

Felix qui potuit rerum cognoſcere cauſas,
Atque metus omnes, & inexorabile fatum
Subiecit pedibus.

Sed & unà ſecum, eos omnes auctores uſque ad extremum eſſe uoluit, unde tantum haurire uirium ſolitus erat. Septus aſſiduè in ipſo lectulo eruditorum hominum corona, & multitudine librorum, quibus pro puluinari utebatur, legebat, ſtudebat, diſputabat, docebat etiam. Nihil eſt, quòd mihi quiſquam Alexandrum narret, quod in caſtris cubans Homeri Iliadem ſub capite habuerit; aut Socratem, quod in carcere diſputârit; nam parua hæc ſunt, ſi conferantur; ſi quidem par fuit, ut magnanimus ille dux, non minus

Palla-

Palladis, quàm Martis ſacris initiatus, quantulumcunque temporis à bellicis curis ſupererat, legendo potius, quàm dormiendo con ſumeret. neque erat alienum à Socratis inſtituto, ut uel in carcere diſputaret; cum tamen nullo eorum uterque aut corporis, aut animi tormento grauaretur, & è carcere exire Socrates, multis id permittentibus, poſſet. At comes noſter, quo erat ſpiritu, quouis dolorum genere preſſus, dum erat ad mortis aduentum excubandum, mira quædam, de tolerando dolore, & de contemnenda morte diſſerebat. Deficiente itaq; corporis uigore, igneaq; ui ſenſim conſumpta, mors, rerum omnium extremum, eius oculos in placidum & perpetuum ſomnum clauſit; ſpiritumq; illius ex iſtarum tenebrarum caligine, ad perpetuam lucis uſuram tranſtulit. Acerbus tibi ſane Ferdinande fili caſus; acerbus itidem uobis omnibus, o pientiſſimi fratres, ceteriq́ue agnati: ſed eo leuior, quòd toti humano generi communis. At cogitate, quàm uobis glorioſum ſit, tantam amiſſi agnati gloriæ hereditatem, quod paucis contingit, poſſidere. Dixi.

ORATIO

ORATIO IN FVNERE ALEXANDRI NOGAROLAE COMITIS.

HABITA VERONAE M. D. LXIV.

SI quis eſt ueſtrûm, nobiliſſimi ciues, qui minus forte decere putet, me, qui uiri boni, & non inhumani partes profiteor, iterum, atq; iterum iam in hoc funebri, & triſti dicendi genere uerſari; quod id inauſpicati hominis potius, quàm diſerti, officium eſſe uideatur: hunc ego rogatum nunc uelim, ut quid ille aut dicat, aut reprehendat, mecum non inuitus cogitet. ille enim aut turpe eſſe dicat, neceſſe eſt, in funere clariſſimorum uirorum orationem haberi; aut turpe ſæpius haberi: ſed quid eſt per deum immortalem, qui hoc audeat dicere, turpe eſſe uiros bonos laudare? ni uelit hic etiam ſanctiſſima antiquorum inſtituta reprehendere, qui lege ſanxerunt, ut non modo de uirorum laudibus, in eorum fu

nere diceretur; uerum etiam monumenta locarentur quàm ampliſſima: qu ippe, quod uirtutis premium, & ad eandem incitamentum id iudicareut. Qui mos, apud nos, uel neglectus, uel non ſæpe uſurpatus, apud aliquas gentes, ita religioſe colitur, ut de nemine, quamuis obſcnro homine, taceri in eius funere prorſus uelint. Quòd ſi id non ſolum non turpe, at legitimum etiam, & uſitatum apparet; eò certe laudabilior quis eſt, quo in rei, laudabilis uſu frequentior. ſiquid tamen eſt in eo genere reprehendendum, id potius eſt, quod non recuſo; me unum omnium minime eſſe idoneum, qui magnorum facta celebrem. ſed quod officium in alio quouis homine proculdubio repudiaſſem, id ego in hoc uno, ſine ſummo pudore non potui recuſare: qui tanta illi obſeruantia, tantis ſuis in me, in omnes meos, in patriam ipſam officijs, ſim deuinctus. quare dicam ego quidem de iſtius nobiliſſimi Comitis laudibus; &, quam gratiam uiuenti illi referre non potui, extremo hoc orationis munere, ei iam uita functo, conabor agere: ſed eo certe conſilio, ut cum multa & magna de eo dixero, plura tamen adhuc, & maiora mihi supereſſe exiſtimem, quæ ego uel propter anguſtiam temporis, oratione aſſequi non potero, uel pro rerum dignitate illuſtrare.

luſtrare. Vt uero in eo facilior mihi ſit, quaſi orationis meæ decurſus; nec ſingulas eius uitæ partes, aut actiones, neque tempora quæque percurram, ſed præcipuas quaſdam uirtutum ſpecies, quæ in eo enituerunt, demonſtrabo; ut ex ijs, quaſi luminibus quibuſdam quantus eſſet in eo uiro ſplendor, & dignitas unuſquiſque facile intelligat. Vos qui communi mecum cauſa, pro ueſtro in patriam, & de patria benemeritos ſtudio, coniuncti eſtis, ciues ampliſſimi, dicentem me benigne audite; dicta mea ueſtris teſtimonijs comprobate: mærorem〈que〉 ueſtrum ut frequenti concurſu & pullo ornatu, ita & lacrymis apud omnes teſtatum relinquite.

Maneat autem hoc tempore, dum hunc uirum proprijs laudibus adornamus, indicta nobis familiæ Nogarolæ nobilitas, & amplitudo, ut quæ ita iam in ore omnium atque oculis uiget, ut maiori non egeat aſſeueratione. Illa quidem, ſi nullo ſe alio modo indicaret, hoc ſatis argumento innoteſceret, quod nemo unquam ex ea familia fuit, quin principibus uiris, tum placuerit, tum maiorem uitæ partem apud reges degerit, & imperatores. Vt quem regnandi, & imperandi uſum à maioribus aliquando acceperant, temporum〈que〉 ac fortunæ uarietate amiſerant; uel hoc uno

ſatis apte retinuerint; quod apud eos, qui regerent, & imperarent, cum poteſtate, & imperio aſſidue fuerint. Quos inter Alexandrum iſtum, quem modo uita functum lugemus, non poſtremum obtinuiſſe locum iure dixerim; quando ſe uiris illis gratum reddidit, quibus nemo unquam maior, nemo factis & fama clarior, aut noſtris, aut ſuperioribus temporibus fuit; Carolo nempe V. Imperatori auguſtiſſimo, & Mariæ Hunnorum reginæ, eiuſdem Caroli, ut natura, ita & moribus, & præſtanti animi uirtute, coniunctiſſimæ ſorori. Apud illum enim gratia tantum ualuit, ut ad intimos eius aliquando ſermones penetrârit, & eiuſdem etiam conuiua fuerit non iniucundus. Apud hanc uero, poſt homines natos reginam potētiſſimam, uſque eo etiam ualuit, ut Lucretiæ Caballæ primariæ fœminæ; uirginibusque à cubiculo reginæ præfectæ, nuptias, regina ipſa curante, meruerit. Illa, quod maius erat adhuc in eum uirum propenſi animi indicium, neque accumbere, neque in caſtra, aut in egregias uenationes prodire conſuêrat, niſi Alexandro Nogarola comite, atque aſſecla: neque de rebus magnis conſilium habere, aut decernere, niſi accerſito inter primarios concilij proceres eodem Alexandro Nogarola. Vtinam tantæ heroidi

diuturnior

diuturnior uita obtigiſſet: quæ tibi Alexander, tum honorum, tum annuorum cenſuum acceſſiones, illius liberalitate factæ eſſent? ſed erit hoc amplum tuarum uirtutum uel præmium, uel teſtimonium, eius tum uiri, tum mulieris gratiam eſſe conſecutum, ad quam adſpirare nemini impolito, indocto, aut ex uulgo exorto homini licebat: atque ita quidem conſecutum, ut non caſu, quod multi; non malis artibus, quod omnes fere hodie, eam aucupatus: ſed ijs uirtutibus promeritus uiderere, quibus principes illi cum eſſent præditi, tum eas maxime in te amabant, atque admirabantur; prudentia, conſilio, fide, & morum ingenuitate, qua omnium ad te animos attrahebas, & præclara tibi demandata munera ita obibas; ut quæ à te expectabantur, feliciter perficeres, & perficiendo omniũ uinceres expectationem. Hæ nimirum ſunt artes, quibus inſtructi eſſe debent, qui in principum aulis ſpectatiſſimi haberi uolunt, quoſque principes ipſi ſuorum conſiliorum participes deligunt: huiuſmodi ſi conſiliariis uterentur omnes, humanæ ſe ſe res melius haberent, & principes maiore cum laude, ſibi à maioribus tradita imperia adminiſtrarent.

Has Alexander ipſe, partim à natura acceperat, quæ claris natalibus ortis, liberale ſæ-

pe ingenium magnum animum, & compoſitos mores benigna præbet: partim ſuo ſibi ſtudio pepererat. fuit enim ille, iam inde ab adoleſcentia literis deditus, easque per publica gymnaſia perquiſiuit. At, cum bellorū fluctibus omnia agitarentur, neminique certa in ſede conſiſtere, aut in otio uiuere liceret; iuuenili impulſu, ex literariis claſſibus, ad martialia caſtra transfugit, in quibus tale de ſe ſpecimen præbuit, ut optimi equitis nomen; quid nomen? inſignia, & quod eſt maximum uirtutis præmium, honorem ibi præcipuum acceperit: legatusque fuerit Iano Fulgoſio, clariſſimo ſui temporis uiro, ac illis in bellis, ſatis noto duci. Qua in re nolim ego Comitem noſtrum inconſtantiæ argui, quod cum primos ætatis annos in ſtudiis literarum non iratis omnino muſis, poſuiſſet, inſtituto uitæ mox mutato, arma ſibi ſumpſiſſet exercenda: cum id temporum culpa, non animi uitio præclare eueniſſe conſtet. Quotus enim quiſque eſt, qui proxime elapſæ ætatis noſtræ turbas, & uarias, per totam fere Italiam confuſiones uiderit, aut audierit, cui ſit ignotum quàm nullus eſſet ea tempeſtate literis locus? quàm omnia incendijs, rapinis, cædibus redundarent? hinc tubarum clamor excitare, inde armorum ſonitus urgere, hinc equorum fremi-

fremitus exaudiri, inde alter alterum ad pugnam hortari. hoſtes patriam ceperant: Patauium obſidione premebant; omnes Itali & externi principes, contra inuictiſſimam Venetorum Rempublicam coniurârant; quis poterat tunc tantis tumultibus, & periculis, non de uitæ ſalute potius, quàm de ſtudendi ratione, eſſe ſolicitus? nō ad arces libentius, quàm ad doctorum ſubſellia confugere? quare demus, demus id temporibus primum, ſatis illis quidem ſtudijs aduerſis, tum iuuenili ætati ſi placet; quæ, quoniam plus corporis, quàm animi uiribus ualet, ad ipſum etiam corpus, plus quàm animum exercendum, naturæ quodam impetu fertur; & maiora eius facta referamus.

Turbulentiſſimis motibus iſtis in Italia pacatis, Comes, poſitis armis, ad urbanum otiū rediit, intermiſſaque ſtudia, tanto recepit animi ardore, ut ſe etiam ad ſcribendum applicuerit, quasque ille optimi equitis partes, longo rerum uſu didicerat, & obierat, eaſdem omnes, ad poſterorum memoriam, literarum monumentis commendare, non dubitârit. opus magna rerum copia ſcriptum, quod ad manus etiam noſtras publice editū paulo poſt ueniſſet, niſi ſuperuenientis fati neceſſitas imperfectum illud, impolitumque reliquiſſet.

reliquiſſet. Nec minus ille præterea rempublicam ſibi eſſe capeſſendam duxit, ut debitam patriæ operam, ciuis patriæ ſtudioſiſſimus aliquando præſtaret; quod ille, ſiquis unquam alius, pulcherrime efficere ſtuduit. nam, quamdiu in oculis ciuium uixit, tamdiu etiam ſingularem uitæ innocentiam, & animi præſtantiam declarauit: in iis præcipue gerendis magiſtratibus, qui ciuibus in patria deferri ſolent, quibus ille omnibus ſuo tempore effulſit, eoſdemque ita adminiſtrauit egregie, ut eximiam inde laudem ſemper retulerit. Erat enim ab his ciuilibus diſſenſionibus alienus, quæ alios omnes grauiter tangunt. Ille unus, cum ceteri diuerſarum ſe partium eſſe prædicent, (quæ eſt in repub. peſtis maxima) bonorum ſemper partes ſecutus eſt. In his nomen profitebatur ſuum, ceteris non obſcure inimicus, quibus recta non aderat uoluntas. Vnde & in Senatum omnium propemodum uotis legebatur; & magiſtratus non ambire, ſed ultro delatos accipere ſolebat: eos etiam nequaquam recuſans, in quibus non minus corporis labore, quàm rei familiaris ſumptu imminueretur; ut ſæpius iteratæ ad Venetum principem legationes, unumquemque ueſtrûm ſatis poſſunt admonere. Dixi de eius uitæ integritate, quã
in

in urbis, & urbanarum rerum procuratione præſtitit, audite, ut ille in ea poteſtate exercenda, quam, quaſi priſcæ nobilitatis ueſtigium, domi retinebat, moderatus, & abſtinens fuerit. etenim hoc hominibus eſt, neſcio quomodo, inſitum, ut cum dominationem à natura appetant, tum in ea non facile ab infimorum oppreſſione abſtineant. At Comes iſte, tantum aberat, ut ſibi, plus æquo, unquam ſumeret, ut multa etiam de ſuo iure remitteret. Quamobrem, qui ſuis fuerit æque gratus; uix alium reperias, qui de eo ſit unquam uiſus queri, ullum non arbitror: qui illatam ab eo ſibi iniuriam ſenſerit, neminem prorſus. ò iuſtum, ò præclarum uirum: ò uere bonis omnibus lugendum uirum. Lugeat ſenatus, qui tam integrum ſenatorem: affli-ctentur inopes, qui tam beneficum uirum: ſqualleant agri, qui tam ſalutarem patronũ: iaceat in mærore tota ciuitas, quæ tam manſuetum, tam honeſtum ciuem amiſit. in hac præcipue tanta, talium ciuium penuria & paucitate, qui habeant cum poteſtate manſuetudinem & pietatem coniunctam. Hodie enim, qui paulo plus inter alios poſſunt; non alio ſe poſſe modo cognoſci uolunt, quàm ut alios proterant, & conculcent, ut infimis ſe hominibus timendos exhibeant. Et per rura

maxime, urbanis libera ſatellitibus, ubi hos ſpoliando, illos occidendo, uim alijs, alijs labem inferendo, patroni aut domini nomen aſpernantur: tyranni & oppreſſores hominũ dici geſtiunt. quibus niſi diuina iuſtitia proſpiciat, humana certe prouidere, aut iam non poteſt, aut ſe poſſe obliuiſcitur. Sed fuit hæc Nogarolarum omnium præcipua laus, ut ab ijs, qui ſibi aliquo patronatus iure adhæſiſſent, non timeri magis uellent, quàm amari: eosq; non iniurijs uexare, ſed ab ijs iniurias propellere: non ab illis diteſcere, ſed eos ditare cuperent; quod regiæ eſſe uirtutis prædicabat Cyrus. Augentur ſuperiora illa, iſtius etiam inſigni placabilitate & clementia, qua nihil eſt homine magno, & præclaro uiro dignius. Hac in re, dicam audacter, quod ſentio, ille uere principem egit, qui nec læſit læſus, & læſus remiſit; & cum poſſet nocere, pepercit. Itaque ad ignoſcendas iniurias faciliorem ſe omnium opinione præbuit: neq; ob eam quidem cauſam, quod eas non poſſet, ſi cupiiſſet, perſequi: ſed quod fœminei eſſe animi cenſeret, pertinaci ira uinci, & acceptas iniurias, non obliuiſci potius, quàm ulciſci. Quod Cæſarianum, uel Chriſtianum factum, non multos uideas, qui imitentur; imo uero, ſi qui ſunt, qui re minus poſſint, uer-

bis ſaltem, utcumque poſſunt, inimicos lædunt. At clementiſſimus iſte uir, qui re, ſi libuiſſet, inimicos poterat lædere, ne uerbo quidem, neminem uiolauit. Quis porrò unquam Alexandrum Nogarolam alicui maledicentem audiuit? quis ex illius ore, ullam in aliquem indignam contumeliam, uel ſecreto, uel palam iactatam accepit? Vos, uos, inquam, appello aſſidui tanti uiri ſalutatores, & officioſi deductores, uos qui ad eum quotidie uentitabatis, & nunc etiam ueſtris lacrymis funus eius decoratis; ecquod templum ſanctius, ecquod caſtius ſacrarium eius domo, atque adeo cubiculo uidiſtis? dicite, quid moramini? non erat uerum apud eum pietatis, & humanitatis domicilium? non erat ibi omnium inuiolata fama? non inde maledici, non obtrectatores pellebantur? ſolisque bonis, doctis, & bene de repub. ſentientibus uiris locus dabatur? patent, patent iam hæc omnia, omnibus: & admiranda, ut arbitror, uidentur. eo tamen magis uideri etiam debent, quo grauius in his homines peccant. peruaſit enim hoc iam omnes uitium, ut uel foris in corona, uel domi in ſecretis cõuentibus, ubi deſint aliis de rebus ſermones, huc euadant; ut modo huic, modo illi maledicant; quorumque palam ſe amicos aſſimu-

 lant,

lant, eorum clam nomen uellicent, famam carpant. Vnde tanto hic magis ſuſpiciendus eſt, quo ſe ille impenſius, ab hoc contagioſo maledicendi morbo intactum ſeruauit. Ac eo amplius ſuſpiciendus, quo in ſe ipſo, dum aduerſæ fortunæ, & ualetudinis ui premeretur, iſtam animi æquitatem, & fortitudinem exercuit. de qua unum hoc dicam; ut omnis eius uita, ſummæ integritatis exemplum fuit, ita poſtremam ætatem uerum patientiæ ſimulachrum extitiſſe, cum, quæ à philoſophis ſunt de tolerantia ſapienter literis tradita, ea ipſe omnia uitæ exemplo comprobârit. Graui enim, & ulla uix ope humana ſanabili morbo oppreſſus, trahi ſe oculis ipſis ad ſepulchrum ſenſim cernebat, mortem ſibi, quàm uitam, propius adeſſe ſentiebat; mirificos cruciatus experiebatur; ſed nullos tamen gemitus, nullas lacrymas, nullas uiro forti indignas uoces emiſit: ſed de morte & ſepulchro ſic loquebatur, quaſi de re iam pridem expetita. Illam ſæpius beati Pauli ſententiam uſurpans; Vtinam aliquādo ex corporeis uinculis diſſoluar, ut, ad Chriſtum liberatorem meum, ualeam euolare. Vt uero interdum aliquid requietis à dolore habebat, id omne in ſermonibus, tum pietate, tum doctrina plenis collocabat; quibus ad ſe officij cauſa uenientes

tes ciues;& eum ſolari cupientes, uel extremis uitæ momentis, detinebat. Magnum profecto ſummæ eius religionis ac fidei argumentum. neque enim humanis quis uiribus fretus, tantum potuiſſet roboris, in extremo rerum euentu præſtare. ſed ille firmioribus ſe præſidijs ad omnes caſus multo ante munierat. Etenim habebat ille in primis animum eum, qui nullius ſibi facinoris eſſet conſcius; quique multorum benefactorum recordatione ſuſtentaretur. Tum, ſiquid grauioris in ſe culpæ (ut fit interdum) admiſerat, id omne ſalubri confeſſionis medicina, ſine mora purgârat: ut uero contra æternos hominum hoſtes fortius conſiſteret, dominico iam corpore ſumpto, ſe confirmârat: ut perpetuam denique pacem à Deo impetraret, quicquid adhuc quaſi labis in animo reſidebat, extrema ſacri olei unctione, iam abſtergendum curârat. Vnde, cur mortem expaueſceret, nulla cauſa erat; cur exoptaret, hæ duæ præcipue, præſentis uitæ ſatietas, & futuræ ſpes non ambigua. Cum primum itaque hinc ſibi eſſe migrandum pro certo habuit; hilariore, quàm unquam animo & uultu, rebus omnibus conſtitutis, tamquam auis peregrina, ad patriam ſuam euolare uiſus eſt. Nunc iacet hic, (proh dolor) mortuus Comes noſter, Comes (inquã)

Alexander

Alexander Nogarola, urbis noſtræ decus, equitum ſplendor, probitatis exemplum ſingulare, iacet iſtic uita functus, nobisque omnibus iuſtam lacrymandi cauſam præbet: qui continuatis funeribus, paulatim urbis noſtræ ornamentis expoliamur. Sed tibi uni in primis, illuſtris Franciſce frater, lacrymandum eſſe quis non uidet? qui talem fratrem, qui ex omnibus extremum, qui hoc tempore amiſeris: hoc (inquam) tempore, in quo ipſe conſolandus, non nouo luctu accumulandus eras. Acerbo enim, & inſperato M. Antonij filij obitu paulo ante perculſus, quî fratris amantiſſimi mortem ferres? Filium eum amiſeras, qui præclaris rebus geſtis, laudem & ipſe immortalem familiæ ſuæ, & patriæ erat pariturus. Victor ille ex Africa, ſpolijs hoſtium onuſtus, triumphans reuertebatur, cum illum importuna mors uita ſpoliauit: triumphumq; lacrymabilem de ſublimi illius adoleſcentis ſpiritu egit. Factum ſane acerbum, indignũ factũ; qui ex medijs inimicorum telis uiuus & uictor euaſerat; inter amicorum manus, externa in regione, expirauit: &; dum ingentia benefactorum præmia à ſuo rege ſperaret, triſte munus interitus ſui nuncium parentibus miſit: quo tu illuſtris Comes (ut dixi) perculſus, quomodo fraternam mortem tolerabis? opus

eſt

eſt huc prudentia illa tua, uirtuteque, quam ex doctiſſimorum hominum ſcriptis hauſiſti olim, & hauris aſſidue, quamque, cum triſtiſſimis ſæpe temporibus tuis præſtiteris, niſi nunc quoque præſtes, nimium à te ipſo deſciſcas. neque enim, ſi hunc caſum grauiorem ceteris putas (ut certe putas) quod tibi is ſit ereptus frater, quem difficillimis tuis rebus, fratrem uere, ut erat, uel parentem potius fueras expertus; minor à te animi fortitudo eſt expectanda, cum non una, aut altera tantum in re (ut noſti) uiri fortis animus cognoſcatur; ſed uarijs, iisque grauiſſimis caſibus, quibus eſt hominum uita expoſita, probetur. Ego igitur, cum de tua uirtute, animique ſpectata magnitudine non dubitem, longiore te conſolatione non detinebo. Hæc una tamen pro cunctis maneat, tibi, tuæque familiæ percommoda conſolatio. Vides illuſtris Comes, (quæ eſt hominum æqua conditio) præſtantiſſimos quoſque uiros, de tua domo extrahi, auida mortis manu: uides tuorum longa duci funera. durum, quis neget? idem tamen uides & experiris præterea, quod non eſt cum multis cõmune, nouum ſemper tuæ familiæ decus, in ipſo etiam tuorum occaſu, inſtaurari. Nam quot illorum ex hac uita mortali extrema neceſſitas tollit: totidem immortalitati æterna

dedicat

dedicat uirtus. quot nouiſſimus fati dies tumulo condit: totidem celebris hominum fama in cœlo collocat. ut grata quadam uice, qui moriuntur, non mori, ſed alterna uitæ, & mortis commutatione ſeſe redimere uideantur. Hocque cum alias perſpectum eſt ſæpe, tum in hoc caſu percommode accidit. Ceſſit è uita ſummo omnium dolore Alexander Nogarola: ecce tibi in uitam reuocata eſt, incredibili omnium lætitia, Iſotta Nogarola. Iſotta illa in uitam reuocata eſt, quæ multis ante annis diem obierat ſuum, & nunc ſuo primum merito, tum tua opera Franciſce nobis eſt reſtituta; qui docta eius ingenii monumenta in tenebris diutius iacere non es paſſus, ſed in promeritam lucem prodire curaſti: tanto omnium applauſu excepta, ut Iſottam ipſam rediuiuam omnes intueri, ac uenerari ſint uiſi. quid quæris? ad tantum luctum leuandum, nihil poterat optatius euenire. At uos nobiliſſimi adoleſcentes, quibus tantus patruus eſt ereptus, quibus ego uos uerbis alloquar? quo orationis genere dolorem ueſtrum leuabo? patruum uos ueſtrum, uel parentem potius, lugetis. parentem amore, parentem con ſiliis, iure lugetis: pietati in illum ueſtræ debitum præſtatis officium. ſed uobis tamen temperate, ne parentis optimi luctum, quem

uos

uos lenire æquum eſt, ueſtris etiam lacrymis augeatis. Quòd ſi & d omeſtico, & publico uulneri mederi optatis, in uobis ipſis præſtantiſſima eſt ſita medicina. operam ſi dederitis, adoleſcentes, ut quem modo patruum domi, non minus præclare agentem, quàm ſapienter loquentem, audiiſtis, & ſpectaſtis, eius quoque uerba & facta ita imitemini, ut non extinctum iam Comitem ſtum lugeamus, ſed in uobis reuiuiſcentem intueamur. & lætemur. Dixi.

PASTORALE CARMEN
PETRI DANTHIS ALIGERI,
IN FVNERE LEONARDI
NOGAROLAE COMITIS,
SVB PERSONA LYCAMBAE.

FLETE agedum mecum, & paſſis ululate capillis,
Nymphæ, quæ Piſynæ colles habitatis amœnæ,
Vitiferos Piſynæ colles, & collibus ipſis
Impoſitos, cœlum ferientes uertice, montes;
Cyanei lugete lacus, lugete receſſus,
Extinctum ſæua formoſum cæde Lycambam:
Vos flores mœſtis nunc ſuſpirate corymbis,
Purpureas nunc ſcinde genas roſa, nũc Anemone
Nunc luctum ferruginei geminate hyacinthi:
Tuq; tuos gemina ueteres philomela dolores,
Luctiſonoq; ſonent circum nemora omnia cantu,
Echo mœſta tuas imitabitur ipſa querelas:
Vos etiam ueſtris modulantes carmen olores
Funeribus, nunc & perſoluite iuſta Lycambæ;
Qui ueſtri quondam cantus ſucceſus amore
Vos aluitq; domi, paſtosq; ad flumina duxit:
Vos liquidi lugete amnes, lacrymisq; repente
Creſcite, & in pontum turbatis curritelymphis.

Tuq; paternoſtros Atheſis dum interluis agros,
  Gurgite conde caput, ſacros nec polluſe uultus:
  Aſt cum tu magnam perueneris Amphitriten,
  Dic Proteo, Nereoq; ſeni, ſanctiſq; maris dijs,
  Concidit heu ueſter crudeli cæde Lycambas,
  Qui uobis ſupplex ſolennia dona ferebat,
  Et ſemper uernis ornabat floribus aras.
Non illo quiſquam timuit præſente luporum
  Inſidias,non furta hominum,incurſus'ue ferarum,
  Grex paſſim uirides, nullo cuſtode, per agros
  Errabat, ſeraq; domum uix nocte redibat;
  Illum olim magno congreſſum forte leoni,
  Qui multos dederat letho iuuenumq;, canumq;,
  Vidi ego ui magna, colliſis faucibus ampla
  Membra feræ lata uictorem ſternere arena.
Te ruris fleuêre homines, formoſe Lycamba,
  Te fleuere dei Panes, ſatyriq́ue bicornes;
  Ipſe quoque ad citharam te magnus fleuit Apollo,
  Carmine quo cœlum, & fulgentia lumina cœli
  Et lacrymas turbata ferunt elementa dediſſe.
  Hîc rigidæ certe quercus, atque aſpera dumis
  Sylua dedit gemitum, fletuſq; effudit apertos.
Te Venus ipſa ſuum plus, quàm ſuſpirat Adonin,
  Flent unà choreæq;, iociq;, & blanda uoluptas,
  Aligeri matrem nec conſolantur Amores;
  Quin potius fractoſq; arcus, fractamq; pharetram
  In medios iaciunt crebris ſingultibus ignes;
  Quin etiam mœſti inſolitis ululatibus, illi
  Sæpe tuum circum uiſi uolitare ſepulchrum,
Tunden-

Tundentes teneris, puerilia pectora palmis.
Purpureos laniata ſinus, laniata capillos
Flet noctes longas, longas tua funera luces;
Pulchra Chloë, & fœdis deturpans unguibus ora
Et crudele uocat cœlum, & crudelia fata:
Ipſaque per ſaltus, & ſaxoſas conualles
Te quærens, magna conclamat uoce, Lycamba,
Saxa repercuſſa reſpondent uoce, Lycamba;
Quo ſtrepitu accitæ ſummis de montibus omnes
Accurrêre ſimul Dryades, mœſtæque Napææ,
Atque ægram uario certatim munere donant:
Hæc calthã, hæc uiolã, hæc immortales amarãthos,
Illa roſam, aut germen donat bene olentis anethi:
Dona ualent ſed nulla Chloën lenire dolentem.
Illa uelut Bacchi ſtimulis agitata, furensque
Aërias penetrat rupes, & inhoſpita ſaxa;
Et iuga perpetuis ſemper damnata pruinis.
Atque illic perhibent inter deſerta ferarum,
Et latuiſſe diu, & demum has fudiſſe querelas.
Crudeles ſuperi, ſperandum quid mihi reſtat,
Si miſeræ ſuprema etiam ſolatia, mortem
Omnibus optatam precibus, uotisque, negatis.
Soliuagæ immitesque feræ, quæcunque ſoletis
Omnibus infeſtæ noſtros errare per agros,
Diſcite uos ſaltem noſtro indulgere dolori,
Et mea ieiunas in uiſcera uertite uires.
Aut potius ſcopulo ex illo, qui proximus undis,
Fluctiſonis Benaci undis ſupereminet, ipſa
Proijciam me me, & te lux inimica relinquam.

Tu

Tu pater amplexus molles Benace cadenti,
Tu molles obitus præſta, tu molle ſepulchrum.
Dixit, & ex illo non uiſa eſt tempore cuiquam.
Heu mihi quas lacrymas linquis generoſe Lycamba,
Heu mihi quos gemitus,& quam ſine lumine uitã,
Perpetuas nobis tenebras, noctemque relinquis;
Tecum ruris honos, & gloria noſtra ſepulta eſt.
Non ego te poſthac canibus circumdare ſaltus
Cyaneos, non fulmineum uenarier aprum
Conſpiciam, fuluumque dari per luſtra leonem
Optantem tibi, quem ualide proſternere poſſis;
Non iaculo, ſaltuque leui, aut contendere curſu;
Non mihi tu poſthac teneros cantabis amores
Ore Chloën uenerando, & dulcia furta Lybiſſæ.
Inque uicem æternùm mea fiſtula muta ſilebit,
Quam tibi magna Pales, hac ſacra ex arbore figo:
Muſa uale, æternùm mihi carmina chara ualete.

FINIS.

AL DVS